

Reconventionem coram Judice, coram quo postulatus fuerit, instituere potest, & quidem tamdiu, donec super Actoris petitione finalis sententia lata sit, Actio tamen Reconventionis separato Libello proponi deberet, neque a Reo cum Responsione sua confundi potest.

Respectu vero intraneorum hæc tunc dunt taxat, dum de debito quopiam Pecuniario, unde unde promanante, ab utrinque agitur, locum habeat.

C A P U T VI.

De Jure, & Obligatione agendi, & excipiendi in Judicio.

§. 70.

Cuicunque Leges liberam res suas admis-
trandi potestatem non circumscripte-
re, ei integrum est, Jus suum adversus quem-
cunque in Judicio persequi, ac tueri.

§. 71.

§. 71.

Jura illorum, quibus Leges bonorum suorum Administrationem vel nondum permis-
serunt, vel permissam ademerunt, in Judi-
cio persequi, vel defendere iis incumbit,
quibus hoc Officium a Legibus demandatum
est; atque idcirco Judex ab iis, quibus non
est facultas standi in Judicio, scripturam re-
cipere nequit, sed eadem statim rejicienda,
ratio vero, cur non admittatur, super libello
indicanda est.

§. 72.

Nemo adversarium obstringere potest,
ut hic Jus suum in Judicium deducat, nisi in
sequentibus tribus casibus Provocationis.
Primo: si adversarius contra ipsum Jus habere
gloriatus fuerit. Secundo: quum novum
opus ab aliquo paratur. Tertio: si actio in
bona, concursui obnoxia, competit.